

PRAEFATIO

A codice Cassinensi 361 repetendam esse originem omnium qui innotuerunt librorum mss Frontini de aquaeductu urbis Romae commentarium exhibentium primus docuit Franciscus Buecheler, et cum ne Gundermannus quidem, quo nemo studiosius accuratiusve codices Frontinianos perscrutatus est, in recensendo Herschelii libro (cf. infra) aut in recognoscenda lege Quinctia (Bruns, Font. iur. Rom.⁷) novos fontes ostenderit, in unici Cassinensis fide adhuc adquiescendum est. de eo codice diligenter docteque rettulerunt Petschenigius (Wien. Stud. VI (1884) p. 249) et ipse Gundermannus (Berl. philol. Wochenschr. XXIII (1903) p. 1450); integrum eius exemplar lucis ope depictum, munus omnibus philologis gratissimum, Herschelius libro suo qui inscribitur 'Frontinus and the Water Supply of the City of Rome' adiecit. percontantes vero de aetate eius codicis delegandi sunt ad eam quam modo commemoravi Gundermanni commentationem, qua, quod iam alii viri docti contenderant, saeculo XII propria manu Petri Diaconi Cassinensem scriptum esse comprobavit. nec non aliam rem notatu dignam idem v. d. scite explicavisse videtur. occurrunt enim in codice C quibusdam locis corruptis inter litteras minusculas mixtae maiusculae, quae litterarum formae cum ex proposito libro fideliter in novum exemplar translatae esse existimarentur, ex codice antiquissimo Cassinensem descriptum esse testari videbantur. aliter Gundermannus. is enim istas notas ab solita scriptura differentes 'litteras tonsas' esse statuit, quibus illius aetatis scribae ad significandas lectiones laesas 'causa discretionis' interdum utebantur. uti igitur nulla re eo compellimur, ut Cassinen-